

DISPUTATIO X.

DE MENSURIS CREATIS DURATIONUM.

ARTICULUS PRIMUS.

Quænam sit mensura visionis beatificæ?

I. Quatuor sunt sententiæ in hac parte. Prima est patris Vasquez hic disp. xxxvi, c. ii qui distinguit inter durationem intrinsecam visionis beatificæ et mensuram talis durationis in ordine ad nos. Et quidem durationem dicit esse indivisibilem, et superiorem ad durationem Angeli: rationem vero mensuræ in ordine ad nos, si sumatur mensura eo modo, quo a philosopho definitur, esse nostrum tempus, quia per ordinem ad illud notificatur nobis.

II. Secunda sententia est Scoti in iv distinct. xlix, quæst. vi, quod propria mensura visionis beatæ est ævum, quam etiam sequitur Suarez in met. disputat. l, section. vi, num. xii, quia non apparet major immutabilitas, et indivisibilitas in visione beata, quam in substantia Angeli.

III. Tertia sententia est, visionem beatificam mensurari quadam peculiari mensura, quæ vocatur æternitas participata, quæ distinguitur ab ævo, et mensurat res ordinis divini habentes, et participantes immutabilitatem. Et licet Div. Thomas quodlib. v, art. vii etiam ævum vocet æternitatem participatam, loquitur generali ratione qua omnis mensura durationum participata dicitur ab æternitate, et præsertim si sit non successiva, tamen speciali modo vocat mensuram visionis beatæ participationem æternitatis, et non ævum, opusculo tri-

gesimo sexto, capite quarto, hic articulo tertio ad primum, et articulo quinto ad primum, ubi illam distinguit ab ævo, et tertio contra gentes, capite lxi et locis aliis infra citandis. Hanc sequitur Capreolus in secundo, distinctione secunda, quæstione secunda, articulo primo, conclusione quinta, et in quarto, distinctione quadragesima nona, quæstione prima, articulo primo, conclusione secunda; Cajetanus in præsentis articulo quinto, et ut probabilem admittit Ferrariensis tertio contra gentes, capite sexagesimo primo; Nazarius hic articulo quinto, controversia tertia; magister Gonzalez, hic disputatione vigesima prima, sectione quarta; Molina in præsentis articulo quinto, disputatione secunda.

IV. Quarta sententia est, mensurari visionem beatificam ipsa æternitate essentiali Dei, vocari autem hanc æternitatem participatam non ex parte ipsius mensuræ, quasi sit distincta ab æternitate, sed ex parte rei mensuræ, quia visio, quæ est res mensurata est participatio quædam ordinis divini, et quia mensuratur ab æternitate non primario, sed secundario. Ita Ferrariensis loco citato, mag. Bagnez, hic ar. v, dub. iv et Navarrete controversia xxii, §. primo et Biescas, hic articulo v, dubio xi et xii et xiii.

V. Pro hujus intelligentia advertendum est colligi ex Scriptura, et patribus visionem beatam habere summam immutabilitatem inter omnes res creatas, hoc enim sensu vocatur in Scriptura illa visio vita æterna, Joann. xvii: *Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te Deum verum*, et ad Romanos vi: *Gratia Dei vita æterna*, dicitur enim æterna non solum quia durabit sine fine, nam hoc modo etiam vita damnatorum erit vita æterna, sed quia intellectus non habet per illam visio-

nem mutabilem vitam, sed æternam. Unde Augustinus xv de Trinitate, capite xvi: « Fortasse, inquit, non erunt volubiles cogitationes nostræ ab aliis in alia euntes, et redeuntes, » sed omnem scientiam nostram uno simul conspectu videbimus. Et Bernardus v de consideratione circa finem: « Neque enim, inquit, tunc fragilis acies mentis nostra quantumcumque vehementer intendens aliquatenus dissiliet, resilietve in suam pluralitatem, colliget se magis, adunabit conformabitque unitati illius, vel potius unitati illi. » Videndus est Divus Gregorius, homilia ii in Ezechiël, circa finem, ubi id colligit ex illis verbis i Joannis iii: *Similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est*; et Ambrosius, libro de bono mortis, capite ultimo, Divus Thomas, iii contra gentes, capite lxi et in quarto, distinctione xlix, quæstione secunda, articulo secundo, quæstiuncula tertia. Et optime id colligitur ex his, quæ docet prima secundæ, quæstione quinta, articulo quarto, in secunda ratione corporis, et ad primam, et Cajetanus ibidem, quia cum beatitudo sit ultima, et summa perfectio intellectualis naturæ, oportet, quod sit indefectibilis in entitate, alioquin si posset deficere, posset habere miseriam, et non excluderet omnem defectum, similiter oportet, quod id quod videt de Deo, ita perfecte videat, quod non restet ei aliquid ulterius acquirendum, quia si restaret in hoc esset homo minus perfectus, et beatus, si quidem proficeret, aut deficeret in beatitudine. Et sic quia est ultimus terminus, et perfectio summa intellectus creati, oportet quod ita perfecte videat id quod videt, quod simul totum videat, et non per partes, et successiones. Neque etiam intellectus potest suspendere illam visionem, aut ab illa divertere, quia cum sit visio summi boni

adimplet omnem capacitatem intellectus, et voluntatis, et consequenter ita rapit ipsas potentias, ut necessario, et non libere ferantur in ipsum. Itaque a nulla causa intrinseca vel extrinseca potest illa visio cessare, aut deficere, vel corrumpi. Solum autem a Deo, a quo primo habet esse potest etiam auferri, sicut in sententia eorum, qui tenent aliquos in hac vita vidisse divinam essentiam, constat sic fuisse illis datam, quod de facto amiserunt illam.

VI. Secundo, constat juxta doctrinam Divi Thomæ in præsentis articulo quarto, et quinto, mensuras durationum diversificari, secundum quod duratio ipsa magis, vel minus recedit ab immutabilitate, sic enim magis receditur ab unitate ad multiplicitatem, et sic mensura ipsa est diversæ uniformitatis. Ubi autem est mutabilitas, et successio ibi est minor unitas, successio enim multiplicitatem petit, et numerum. Mensurare autem per numerum, vel per unitatem magis variat mensuras, quam apud nos mensuratio per pondera, vel per ulnas.

VII. His suppositis, dico tertiam sententiam esse cæteris probabilior. Hæc conclusio sine dubio est D. Thomæ. Et miror valde Biescas, dub. xiii citato ita mordicus adhæsisse suæ sententiæ, ut nec probabilem admittat in via D. Thomæ hanc nostram. Etenim. D. Thomas iii contra gent. cap. lxi, dicit: « Divinam substantiam esse in æternitate, vel magis esse ipsam æternitatem, visionem autem beatam esse in participatione æternitatis, » sed est in illa ratione mensurationis, sicut substantia divina in æternitate, ergo condistinguit Divus Thomas mensuram participatæ æternitatis ab ipsa æternitate. Et in quodlibeto x, ar. iv et in iv, distinctione xlix, quæst. i, ar. ii, quæst. iii ad tertium, et aliis locis supra citatis semper

dicit visionem beatam esse, aut perfici æternitatis participatione, sed non potest intelligi participatio æternitatis nisi sit duratio participata, et creata, sicut et entitas, et esse: ergo etiam, nisi sit mensura participata. Nec valet dicere, quod D. Thomas solum posuit beatos participare æternitatem, quod verificari potest de ipsa æternitate essentiali sibi communicata intrinsece, non autem dixit habere æternitatem participatam, quæ est mensura creata. Sed contra est, tum quia visio beata non participat æternitatem, nisi ratione alicujus existentia, et durationis sibi propria, et homogeneæ, et consequenter etiam mensuræ, quæ tali durationi respondeat: tum quia D. Thomas expresse dicit in primo, dist. viii, quæst. ii, ar. secundo ad secundum: « Quod æternitates participatæ in beatis erunt plures secundum plures beatos, » ergo sentit non esse unam æternitatem participatam, essentialem beatis extrinsecam, sed multiplicari in beatis, atque adeo esse quid creatum, quod etiam affirmat hic articulo tertio ad primum dicens: « In beatis esse plures æternitates, quatenus sunt multi participantes æternitatem, » ubi ly quatenus dicit rationem quare erunt plures æternitates, scilicet quia erunt plures participantes, non vero accipit æternitates pro concreto, sic enim ineptam redderet rationem, scilicet esse plures habentes æternitatem, participatam quatenus sunt plures participantes, esset enim idem per idem.

VIII. Et probatur primo contra Vazquez, quia si duratio intrinseca visionis beatificæ est superior, et immutabilior, quam duratio Angelis, et aliorum æviternorum, ut fateatur Vazquez, ergo etiam mensura illi connaturalis, et propria debet esse superior. Quod enim nos non

intelligamus illam, nisi per ordinem ad nostrum tempus non facit, quod tempus sit mensura illius durationis, quia nos non cognoscimus illam durationem per reductionem ad nostrum tempus tamquam ad aliquid perfectius, et simplicius, sed tamquam per aliquid imperfectius, et nostro modo intelligendi accommodatius, sicut etiam ea, quæ Dei sunt cognoscimus per ordinem, et connotationem ad creaturas, non tamen creaturæ sumuntur, ut mensura Dei, quia mensura semper se habet, ut aliquid uniformius, et perfectius, si sit mensura extrinseca, vel saltem ut æque perfectum si sit mensura intrinseca, neutro modo creaturæ se habent respectu Dei, vel visionis beatæ. Unde dicit Divus Thomas, opuse. xxxvi, cap. vi: « Quod si aliquo modo diceretur Angelus mensurari tempore, quod est mensura motus, necessario id foret pro concomitantia, et hoc convenienter posset dici, si tempus non haberet finem, ut est opinio philosophi, tunc enim tempus indeficienter sequeretur ævum, sed quia tempus non semper durabit, non est concomitantia temporis et ævi, nisi ut nunc. » Et ita concludit: « Quod tempus non mensurat durationem Angeli, nisi ut concomitans, » quod est non esse mensura simpliciter, sed id, ad cujus connotationem, et analogiam cognoscitur duratio Angeli. Eadem autem ratio est de visione beata, quæ uniformior est duratione Angeli.

IX. Contra Scotum autem et Suarez probatur conclusio, quia ævum, quod est duratio mensurans esse Angeli est multum inferius, et minus uniforme quam visio beatifica, ergo non potest esse ejus mensura, si quidem mensura semper est uniformior mensurato. Antecedens constat, quia visio beata elevat ipsum Angelum ad altiorem modum

operandi, et essendi, quam sit in suo esse naturali, redditque illum deiformem, et modo divino, et superioris ordinis operantem, ergo immutabiliori, et simpliciori modo operatur, quam ævum mensuret. Et confirmatur, quia visio beatifica nullam admittit variationem etiam accidentalem in ipsa ratione visionis, quantum est ex natura sua, quia semel prosita in subjecto non potest crescere, aut minui: neque quantum ad extensionem, alias non poneret in ultimo termino, nec beatificaret sufficienter si aliquid posset amittere de eo, quod habet, vel admittere, quod non habet. Ævum autem admittit aliquas variationes accidentales in Angelo, sive quoad mutationes locales, sive quoad diversos actus. Quod vero visio beata admittat novas revelationes extra verbum, hoc non pertinet ad ipsam rationem visionis, sed ad aliud genus cognitionis.

X. Contra quartam vero sententiam probatur conclusio, quia visio beatifica tam in genere entitativo, et in quantum accidens durans, quam in genere intelligibili, et in quantum visio admittit potest aliquam mutabilitatem, quam nullo modo potest admittit æternitas essentialis, et divina, ergo propria, et homogenea mensura ipsius visionis non potest esse æternitas Dei in se, sed aliquid participatum ab æternitate, quæ sit mensura ordinis divini creati. Consequentia patet, quia juxta diversitatem immutabilitatis, et uniformitatis variatur mensura, seu modus mensurandi durationem, ergo si duratio visionis beatificæ distat ab uniformitate, et immutabilitate æternitatis in infinitum, cur non postulabit diversam mensuram sibi propriam, et homogeneam, sicut etiam habent aliæ res, quæ sunt inferioris participationis a Deo? Antecedens probatur, nam quantum

ad esse entitativum illa visio incipit de novo quando primo aliquis sit beatus, et sic accipit esse post non esse, et similiter potest desinere si Deus suspendat concursum, et de facto desiit in aliquibus, qui in hac vita viderunt Deum et cessavit illa visio, ut in Paulo, et Moyse. Similiter in esse intelligibili, et in ratione visionis potest esse major et minor etiam in eodem subjecto de potentia absoluta, sicut de facto in diversis subjectis una est major, quam altera, ergo secundum se visio habet diversam immutabilitatem, saltem respectu potentia Dei, quam habeat æternitas essentialis, et consequenter postulat diversam mensuram. Neque est ratio cur ei negemus propriam aliquam mensuram, et solum demus illi mensuram inadæquatam, et superiorem, non vero homogeneam, si quidem non obstante hac participatione habet suam propriam entitatem, et durationem, sicut aliæ creaturæ, et totum quod in ea intrinsecum est, creatum est, ergo debet illi convenire aliqua homogenea mensura, sicut aliis creaturis. Nec dici potest, quod quia illa visio habet divinam essentialiam vice speciei intelligibilis, debet mensurari in ratione visionis per æternitatem divinam, sicut et ipsum objectum, et species, a qua paritur, quod est fundamentum Biescas. Nam contra est, quia species est extrinseca ipsi visioni, utpote causa ejus, aut terminus si est species expressa, nec constituit ejus durationem. Et licet ipsa essentia divina in se mensuretur æternitate, tamen concursu ejus ad visionem, ratione cujus visio mensurari debet, temporalis est, et mutabilitati subjectus, quia aliquando incipit, et potest desinere et potest ad majorem, vel minorem visionem concurrere, quod totum mutabilitatem supponit, et sic talis concursus mensurari debet æternita-

te participata non essentiali, et saltem visio, quæ est effectus hujus concursus est aliquid creatum in se, ergo suam mensuram creatam habere debet, sicut et durationem; sicut etiam Verbum divinum supplet rationem Personæ in humanitate Christi, et tamen unio hypostatica non mensuratur ipsa æternitate essentiali, sed mensura aliqua creata, quia in tempore facta est, ut infra ponderabimus, licet humanitati communicetur existentia divina, sed non ut propria, et homogœnea ipsi, sed ut supplens propriam, et multo eminentior.

XI. Sed inquires primo, an sicut tempus subjective est in primo mobili tantum, licet mensurative attingat omnes motus inferiores, ita æternitas participata sit in uno subjecto, et quodnam illud sit. Videtur enim, quod omnes visiones beatæ, licet sint diversæ imperfectiones cognitionis, in ratione tamen durationis, et existentia sunt æque immutabiles, quia non possunt crescere, nec minui; ergo non potest assignari una, quæ sit omnium aliarum mensura secundum majorem uniformitatem, et in ordine ad potentiam absolutam omnes æque mutari possunt.

XII. Nihilominus respondetur satis probabile esse quod æternitas participata subjective est in intellectu perfectissimi beati, scilicet in anima Christi, ut sentit Nazarius ubi supra. Ad hoc enim sufficit, quod in eodem genere visionis sit perfectissima, et simplicissima, sicut in genere motuum motus primi mobilis est mensura cæterorum, quia simplicior, et uniformior, et omnes durationes Angelorum sunt æque immutabiles, quantum ad inceptionem, et desitionem et tamen mensurantur per durationem supremi Angeli, quia est uniformior, et simplicior. Addendum autem est pro

solutione rationis dubitandi, quod visio animæ Christi etiam immutabilior est cæteris, et uniformior in quantum unica existens complectitur omnia, quæ diversis visionibus aliorum beatorum videntur, et ultra illam non est alia, quæ plura complectatur, et simpliciori modo. Unde etiam in ordine ad potentiam absolutam Dei, extrinsecus immutabilem, mutabiliores sunt aliæ visiones, quam visio animæ Christi, non quidem quantum ad conservationem in esse, vel annihilationem, sed quantum ad attingentiam obsectorum, quia aliæ visiones inferiores possent de potentia absoluta magis intendi, et crescere ad videndum quidquid videt anima Christi, sed hoc fieret per mutationem, visio autem animæ Christi sine ulla sui mutatione omnia illa videt, et sic est simplicior, et perfectior cæteris, et uniformior. Et licet etiam ipsa visio Christi possit crescere, tamen in ordine ad istas inferiores sibi non indiget crescere ut illas contineat et perfectior illis sit. Si autem fieret alia perfectio quam ipsa tunc non esset prima mensura sicut modo, sicut etiam fieret alius motus regularior, quam primi mobilis ille esset mensura, et non motus primi mobilis, sed nos loquimur de hac mensura, ut est de facto. Nec requiritur ut sit mensura, quod sit causa cæterarum visionum, et ab illa participentur, sed sufficit, quod sit simplicior, et perfectior cæteris, ut docet D. Thomas in præsentibus articulo sexto ad quartum. Et manifeste patet in nostris mensuris, ut in libra, vel ulna, quæ non sunt causæ mensuratorum, sed simpliciores illis.

XIII. Inquires secundo, utrum etiam aliæ formæ supernaturales mensurentur mensura aliqua particulari, sicut visio beatæ, si quidem cum sint formæ supernaturales vi-

dentur exigere specialem mensuram, scilicet ordinis supernaturalis habentem majorem immutabilitatem, et simplicitatem, quam formæ naturales, si quidem ipsarum esse, et duratio simplicior est, et uniformior.

XIV. Respondetur hanc mensuram æternitatis participatæ peculiarem esse visionis beatificæ propter specialem modum immutabilitatis, quem habet inter omnes operationes, seu formas supernaturales, ex eo enim quod beatifica est, immutabilitatem illam habet, ut non possit variari secundum diversas cognitiones, aut secundum aliquod augmentum, vel decrementum, quod specialiter convenit illi, tum quia constituit intellectualem creaturam in ultimo termino, et fine, et summa beatitudine, quæ non potest amplius proficere, nec deficere: tum quia videt res in Verbo, et mediante essentia divina tamquam specie, et sic ex parte immediate conjungitur æternitati, eamque altiori modo participat. Reliquæ autem formæ supernaturales, etiam si dentur per modum habitus, et permanentiæ, subjectæ sunt majori mutabilitati, tum in essendo, tum in operando. Considerari enim possunt in duplici statu, scilicet in statu imperfecto, et viæ, secundum quem trahuntur ad modum imperfectum ipsius subjecti, et amissibiliter sunt in eo, et sic mensurantur mensura omnino mutabili, et temporali. Nam ut dicit D. Thomas secunda secundæ, quæstione vigesima quarta, articulo septimo: « De ratione charitatis viæ est, ut possit augeri, et consequenter mutari, » et art. XI inquit: « Quod de ratione formæ est, quod sit in subjecto amissibiliter, quando non replet totam potentialitatem subjecti. » Charitas autem viæ non replet totam potentialitatem subjecti, quia non semper actu fertur in Deum, sicut in

patria, et sic in statu viæ habet amissibilitatem, et mutabilitatem ratione talis status, et ita in mensurando deprimatur ad modum mutabilitatis ipsius subjecti. Neque est inconueniens quod aliqua forma de se petat mensuram aliquam superiorem, et tamen ex aliquo imperfecto statu, in quo invenitur mensuretur mensura inferiori, sicut anima rationalis, et operationes ejus spirituales de se mensurari possunt mensura spirituali in statu separationis, et tamen in statu informationis corporis mensurantur tempore, quia ipsa informatio animæ habet causas omnino mutabiles, et subiectas tempori. In mensurando autem aliquam formam, et operationes ejus non solum attenditur ipsa substantia formæ in se, sed etiam informatio ejus, et causæ durationis, ac operationis ejus, quæ si mutabiles sunt, et dependentes a motu temporali, sub hoc statu mensurantur tempore.

XV. Cæterum formæ supernaturales in statu perfecto, et secundum se redduntur independentes a tempore, et habent durationem, et mensuram ad modum ævi, et a multis vocatur specialiter illa mensura non ævum, sed modus ævi, id est, ævum supernaturale, cujus immutabilitas se habet ad modum ævi, eo quod importat immutabilitatem in esse, cum mutabilitate in operari, quod est proprium ævi. Nam gratia, et virtutes habituales extra viam immutabiliter perseverant in suo esse, sed tamen in sua operatione admittunt diversos actus, ex parte quidem intellectus, quia cognitio extra Verbum, etiam si sit supernaturalis fit secundum diversas illuminationes, et revelationes, ex parte autem voluntatis dicuntur diversi actus ab ipsis virtutibus. Sola charitas magis conformatur visioni beatæ, quia est actus necessarius, et immutabilis,